

non posse propter quodcumque periculum vel metum mortis contrahere matrimonium et consummare, quia nunquam erit illud matrimonium validum propter inhabilitatem, quæ non restituitur per metum vel similem occasionem. Ita docuit Soto, lib. 1 de Justit., q. 6, a. 4, in fine, et sequuntur Medin. 1. 2, q. 96, a. 4, dub. 2, ad 2, et alii moderni; ergo idem erit in quacumque simili inhabilitate. Idem videre licet in irregularitate quæ de se perpetua est; licet enim in casu possit suspendi usus ejus circa actum quem prohibet et non irritat, non tamen potest ipsa auferri nisi dispensatio intercedat. Et idem est in excommunicatione, et aliis censuris quæ non auferuntur propter extrinsecas occasiones, ut sic dicam, nisi per absolutionem auferantur; vel nisi in ipsa lege habeant terminum præfixum quo absoluto cessent. Quod etiam in irritationibus et inhabilitatibus locum habet, ut constat. Nam interdum imponuntur usque ad certum tempus, ut patet, quando requiritur tanta ætas, etc. Interdum per alias leges fit exceptio, ut in extrema necessitate mortis quilibet minister sacramenti confessionis quantumvis inhabilis fit habilis, non per epikiam, sed virtute legis scriptæ vel traditæ.

5. Contra hanc sententiam referri potest Molin., tract. 2 de Justit., disput. 81, § *Sunt vero*, ubi sentit aliquando hunc juris rigorem esse moderandum, quando non tota solemnitas, sed aliqua parva circumstantia bona fide omissa est, servata æquitate naturali. Nam tunc ipsamet naturalis æquitas postulare videtur ut actus sustineatur. Sed de hoc puncto dicemus in c. 27. Nunc solum dico regulæ propositæ standum esse; eamque eo certiore esse futuram quo materia legis fuerit gravior, ut sunt materiæ sacramentorum, aut status religiosi, atque ita per modum regulæ moralis universaliter censeo esse veram, quia rationes factæ universales sunt. Et licet possit fortasse habere exceptionem recurrendo ad conjecturam mentem legislatoris, mihi tamen nunc talis exceptio non occurrit quæ moraliter sit admittenda. Quia si contractus est jam factus, et revera fuit invalidus propter solemnitatem prætermisam, non habet postea locum epikia vel æquitas, propter effectus postea subsequutos, vel utilitates quæ alteri parti accesserunt; id enim accidentarium est. Si vero agitur de contractu faciendo, qui habeat effectum validum et permanentem, tunc semper est res valde gravis, quæ intentari non potest contra legem irritantem propter solam extrinsecam

necessitatem, sine adminiculo alicujus legis. Ita enim intelligenda est assertio posita, ut per se constat. Nam si in virtute alterius legis fiat exceptio, jam non erit epikia, sed jus. Et sic intelligenda sunt quæ tractat Felin. in cap. *Ea parte*, de Constit., n. 1, vers. *Recepistis*, ubi ait ratione periculi validum esse actum contra formam mandati, in omissione consilii; ita enim in jure fundatum est, in c. unic., § ult. Ne sed. vacan., in 6. Et ad eundem modum sunt similes exceptiones admittendæ.

6. *Distinctio inter prohibitionem et irritationem.* — Et ita responsum est ad rationem dubitandi in principio hujus puncti positam; negatur enim æquiparatio inter prohibitionem et irritationem, quia prohibitio natura sua admittit excusationem vel ignorantiam vel moralis impotentiam, et ideo in casu morali frequenter cessat; nam (si quis recte consideret) fere in omni interpretatione legis per epikiam moralis quædam impotentia intervenit. Irritatio vero non fundatur in obligatione, nec requirit voluntatem, vel potestatem subditi, sed potius inducit impotentiam quamdam, vel inhabilitatem in illo, ipso etiam invito, quæ per solam excusationem auferri non potest. Deinde in legibus simpliciter præcipientibus vel prohibentibus, non est tam necessaria ad commune bonum uniformitas in observatione legis, quin moraliter possit sæpe expedire non observare legem; in legibus autem imponentibus formam substantialem, vel inducentibus inhabilitatem, magis necessaria est uniformitas, quia ordinarie sunt graviores, et in earum transgressione est majus periculum, et ideo magis expedit bono communi quod inviolabiliter serventur, quam quod in uno vel alio casu aliquod incommodum vitetur.

7. Ad regulam a Felino positam, dico vel esset intelligendam de legibus non irritantibus ipso jure, sed præcipientibus irritari actum aliter factum, tunc enim cum actus sit validus, licet fortasse prohibeatur fieri, non est mirum quod per epikiam possit licite fieri. Nam tunc penes judicem erit arbitrium, an irritandus sit postea talis actus, cum ex necessaria occasione fuerit factus. Vel certe si illi auctores loquuntur de actu irritato ipso facto per legem, solum habebit locum eorum regula quando irritatio non est absoluta, sed conditionalis, ut solet esse quando principaliter fit in favorem alicujus privatæ personæ, quæ includit conditionem, si illa non cesserit juri suo, vel si cedat in illius incommodum. Et ita

contingere in obligatione minoris sensit clare Gloss. in l. 2, ff. de Acceptilat. Et idem existimo esse dicendum de contractu religiosi, supposita illa sententia Navarri, de qua in proprio loco latius disputabimus. Atque ita in his casibus non sustinetur actus propter epikiam contra legem absolute irritantem, sed propter formam legis non irritantis simpliciter. Aliud item exemplum ex Navarro sumptum, si verum est, non fundatur in epikia, sed in hoc quod lex illa fundata est in præsumptione, de quo dicemus in puncto sequenti. Denique exemplum illud de matrimonio sine parocho et testibus probabile non est, unde retorqueri potest argumentum, quia in illo casu non valet matrimonium contra legem irritantem, ut recte sensit Navar. in cons. 6 de Clandest. despon., dicens in nullo casu posse recedi a forma Concilii, tum quia verba ejus expressa et præcisa sunt, tum quia si daretur licentia in uno casu, ostium aperiretur ad alios, quod esset magnum incommodum contra vim et intentionem legis. Quæ ratio in gradu suo in omnibus legibus irritantibus locum habet. Idem late docet Sanc., l. 3 de Matrim., disput. 17, n. 4.

CAPUT XXIV.

UTRUM LEX IRRITANS INTERDUM PRIVETUR SUO EFFECTU, QUIA IN PRÆSUMPTIONE FUNDATUR.

1. *Opinio negativa.* — Multorum opinio est sæpe legem non irritare actum in re ipsa, quia fundatur in præsumptione et sæpe veritas non est conformis præsumptioni. Ita sentiunt doctores, qui dicunt legem præcipientem in præsumptione fundatam non obligare in conscientia, quando veritatis fundamentum in re ipsa deficit: idem enim consequenter dicunt de lege irritante, sive substantialem formam actus præscribat, sive absolute prohibeat actum. Quos auctores late retuli lib. 3, cap. 22, et aliquos adducit Navar. in Comment. de Alienat. rer. ecclesiast., n. 16, ubi ipse idem sentit, et in Comment. de Spol., n. 6; et ex hoc principio deducit alienationem rerum ecclesiasticarum, prætermissa forma juris, licet a jure annulletur, validam esse in conscientia, si in re servetur naturalis justitia et Ecclesiæ utilitas. Quod tenuerunt etiam Anton. in cap. *Quia plerique*, de Immunit. Eccles., et ibi Panormit., et in cap. 1 de In integrum restitut., n. 19, et alii. Idem infert idem Navarrus de electione facta sine solemnitate a jure requisita ad valorem ejus, scilicet, validam esse in

conscientia si justa alioqui sit, et cum forma jure naturæ sufficienti fiat. Quæ fuit etiam sententia Innocent. in cap. *Quia propter*, de Elect., in cap. *Si celebrat*, de Cleric. Excom. ministr. et Archidiac., in regul. *Beneficium*, de Regul. jur., in 6; Panorm. et Felin., in c. 1 de Constitut.; Domin. in cap. 1 de Sponsal., in 6.

2. *Testamentum minus solemne validum in conscientia esse sentiunt multi.* — Sic etiam dicunt multi testamentum inofficiosum seu minus solemne validum in conscientia esse, et securum reddere hæredem institutum, si constet illi de voluntate libera testatoris, et quod nulla vis vel fraus aut deceptio intercesserit. Quam esse magis communem sententiam multis relatis tradit Covarrus in cap. *Cum esses*, de Testam., n. 5, et tenet Medin., Cod. de Restit., n. 23, in fine, et ex parte Soto, lib. 4 de Justit., quæst. 5, art. 3, ubi mediam tenet sententiam, scilicet, talem actum validum esse in conscientia, posse tamen irritationem ejus etiam in conscientia per judicem postulari, quam nunc examinare nostrum non est. Nec etiam potest ad omnes actus applicari; aliqui enim si semel valent irritari non possunt, ut matrimonium et professio, ad quos interdum illa sententia extenditur ab auctoribus. Nam Felin., in dicto cap. 1 de Constit., n. 39, cum Panorm., in cap. *Porrectum*, de Regularib., n. 13, dicit professionem factam sine solemnitate juris in conscientia ligare et validam esse, si cum sufficienti libertate et juste facta est et acceptata; per dictum cap. *Porrectum*, cum Gloss. 2, ibi. Ratio autem generalis est, quia deficiente fundamento deficit etiam quidquid in illo fundatum erat; in tali autem irritatione fundamentum est res præsumpta: ergo illa non existente non procedit irritatio, nec legislator videtur posse juste illam intendere.

3. *Rejicitur generalitas prædictæ sententiæ.* — Hæc vero sententia, si in ea generalitate sumatur quam adducta exempla postulant, sustineri profecto non potest, quia ex illa multa sequuntur valde absurda. Nam si leges ponentes solemnitatem certam ut necessariam in testamentis, alienationibus, electionibus, et aliis similibus actibus humanis, in præsumptione fundantur, idem dicendum erit de omnibus legibus quæ circa professiones, matrimonia et vota similem solemnitatem ut necessariam introducunt, et in universum de omnibus quæ circumstantias speciales postulant non necessarias jure naturæ, ut est licentia tutoris in pupillo, etc., quia omnes istæ

leges fundantur in periculis deceptionum, vel in periculo seu timore deceptionis, coactionis, aut alterius injustitiæ: ergo regula illa generaliter applicanda erit ad omnes has leges. Et ita nunc matrimonium clandestinum factum honesta ratione aut necessitate, et sine ulla iniquitate præsumpta, esset validum; similiter professio facta ante legitimam ætatem, si constat de perfecta intelligentia et consensu profitentis; idem de professione facta ante expletum annum probationis, si constet novitium in minori tempore plene fuisse expertum asperitatem regulæ, et ex utraque parte fuisse omnia jure naturæ necessaria, quia etiam illa lex lata est ex simili præsumptione, quod in tali ætate vel tempore non fit professio cum perfecto iudicio, deliberatione seu experientia. Hæc autem et similia absurda sunt, et nulla probabilis ratio differentiæ reddi potest, cum negari non possit has etiam leges latas esse ex illo genere præsumptionis. Item idem dicendum esset de legibus irritantibus acceptiones vel donationes, etiam gratuitas, propter periculum corruptionis justitiæ, ut in iudiciis, tabellionibus, etc.; nam si quis esset certus de sua voluntate et animo servandi justitiam, nec timeret corrumpi, posset valide et tuta conscientia contra legem irritantem recipere, quæ magna esset morum corruptio.

4. *Regula generalis vera.* — *Axioma commune.* — Quapropter censeo potius contrariam regulam esse generaliter constituendam, scilicet, actus factos contra leges instituentes substantialem solemnitate tanquam simpliciter necessariam ad eorum valorem, esse nullos ex defectu talis solemnitatis, etiamsi in re fiant ex vero consensu et sine ullo defectu contra legem naturalem. Probatur primo ratione facta, quia in multis casibus necessario ita dicendum est, et eadem est ratio de omnibus. Est autem generalis ratio, quia illa forma est substantialis ex institutione humana justa: ergo sine illa actus est invalidus, quia non potest aliquid subsistere sine substantiali forma. Vel clarius, lex humana ex justa causa potest inhabilitare seu impotentem reddere voluntatem subditi, ut non possit transferre dominium, nisi tali modo et cum talibus circumstantiis; ergo, si lex ita hoc absolute disponit et est justa, semper id operatur, nec possumus nos eam limitare ad casus particulares, in quibus revera invenitur malum quod timetur, cum lex ipsa hoc non distinguat, nec ex ratione in qua justitia ejus fundatur id colligi possit, ut mox explicabitur. Et confirma-

tur, quia alias tales leges essent valde inefficaces et parum utiles; vix enim posset aliquid contra illas fieri quod non posset aliquo colorato titulo sustineri, facileque formarent homines dictamina conscientie de talibus titulis ad suas conscientias pacandas, vel fortasse fallendas. Atque hæc regula eadem ratione procedit in legibus absolute irritantibus actus simpliciter prohibent, etiamsi in particulari non intercedant ea mala quæ lex timet, quia eodem modo procedit ratio, nimirum, quod lex non nititur in particulari eventu, sed generalem rationem considerat, quæ semper subsistit, licet in particulari cesset. Et ita incidimus in axioma commune, quod legis effectus non impeditur, licet ratio ejus in particulari cesset, quando ratio generalis subsistit, et lex potest in particulari sine animæ discrimine servari, ut recte notavit Covar. in dicto cap. *Cum esses*, n. 8.

5. Unde duo sunt maxime consideranda in hoc puncto: unum est, has leges de quibus tractamus revera non fundari in præsumptione, sed in solida veritate, et ideo semper consequi effectum suum. Quod indicavi dicto libro 3, cap. 22, et nunc explico in hunc modum, quia præsumptio potest in legislatore cogitari, vel ad ferendam legem, vel ad irritandum hunc actum in particulari in quo cessant incommoda quæ lex timebat: in neutro autem modo invenitur præsumptio a veritate discordans. De priori patet, quia aliud est periculum mali, aliud malum ipsum; lex autem, licet feratur ne mala eveniant, non tamen fertur ex præsumptione illorum, sed ex certa scientia periculi illorum; præsumptio autem non dicit certam scientiam, sed conjecturam; ergo ratio illius legis non est præsumptio, sed certa scientia periculi. Et confirmatur, quia præsumptio propria versatur circa facta particularia; lex autem illa generaliter lata de nullo facto particulari præsumit, sed tantum in generali periculum considerat quod in omnibus invenitur, sive in singulis perveniat ad effectum, sive non, et ideo de periculo non est præsumptio, sed certitudo. Sic igitur lex illa, quatenus a principio fertur, non fundatur in præsumptione. Neque etiam postea in effectibus particularibus quando irritat singulos actus, in præsumptione fundatur, sed in eo quod certum est, nimirum, hunc actum carere solemnitate a jure requisita. Nec enim talis actus irritatur a lege quia in eo intervenerunt fraudes, etc., nec quia hoc de his contrahentibus hic et nunc præsumatur, sed solum quia caret

solemnitate, quidquid sit de modo naturali in eo servato vel omisso. Item ille actus non irritatur nisi in virtute legis latæ, et juxta rationem ejus: illa autem non fuit lata ex præsumptione, sed ex justa causa certa, quæ causa etiam in hoc actu particulari invenitur, etiamsi in illo cessent fraudes, quia de se erat expositus periculo illarum, quod solum lex consideravit, et juste potuit irritare actum aliter factum, independenter a futuro eventu. Ergo etiam in tali actu particulari id facit, quia lex est justa et ratio ejus non cessat, et quamvis cessaret in particulari, non impediretur effectus ejus.

6. *Explicatur mens auctoris a simili specie simoniæ.* — Et declaratur a simili: nam lex canonica quæ prohibet actum aliquem, quia habet speciem vel periculum simoniæ, propter vitanda pericula simoniæ, obligat in particulari, etiam ubi certo constat nullam simoniam fieri contra legem naturalem, et talis actus erit simoniacus ex vi legis positivæ, et consequenter irritus si per legem fuerit irritatus, quia lex illa non fundatur in præsumptione facti, sed in certa scientia periculi, et in generali ratione vitandi pericula; sic ergo est in legibus de quibus loquimur. Et hoc recte videtur considerasse Anton. Gom. in l. 3 Tauri, n. 123, in fin., cum dixit has leges non fundari in præsumptione, sed in re de qua certo constare poterat, quod sequitur ibi Burgos de Paz, n. 1471, et idem aperte sentit Molin., tr. 2 de Justit., d. 81, in rationibus secundæ opinionis, quas in hac parte admittit, et in re idem sentit Covar. in dict. cap. *Cum esses*; et Ledesm. 2, part. 4, quæst. 18, art. 1, dub. 12, ad 1; et sentiunt omnes qui tenent hos contractus esse nullos in utroque foro, qui a citatis auctoribus late referuntur.

7. Secundo, considerandum est quod, licet proposita regula generaliter vera sit, in applicatione ejus ad particulares leges necessarium est verba legum, intentionem et materiam considerare, quia non omnes ad eundem effectum ordinantur: et quædam irritant simpliciter et absolute contractus intuitu communis boni, in quibus indistincte procedit regula data, ut maxime constat de lege Concilii Tridentini irritante matrimonia clandestina, et idem est de similibus. Quædam irritant non simpliciter, sed in favorem unius partis, et quasi optionem illi relinquendo ut eligat quod sibi melius fuerit vel utilius, ut fortasse est in contractibus minorum, Ecclesiarum, religiosorum, etc. Aliæ possunt respicere commodum

utriusque contrahentis, et irritare contractus quasi sub conditione, nisi partes mutuo sibi invicem remittant et cedant juri suo. Aliquando etiam potest lex non irritare voluntatem hominis operantis, nec effectum ejus impedire, sed solum irritare scripturam, ut testamentum, vel aliam similem, ut valorem non habeat ad illos effectus præstandos quos talis scriptura valida solet efficere. In omnibus ergo his legibus generaliter verum est, operari suum effectum independenter a præsumptione proprie dicta, id est, quæ fit de fraude vel injustitia quæ in tali facto particulari intervenisse præsumatur; non tamen semper irritatio est ejusdem modi, sed juxta verba legis, quæ in particularibus quæstionibus consideranda sunt; nostrum enim nunc non est ad singulas leges doctrinam applicare.

8. *Quid de communi supra citata sententia censendum.* — Atque ex his tandem patet quid de communi sententia citata sentiendum sit; nam, quatenus sentit has generales leges irritantes esse fundatas in præsumptione, mihi non placet quoad modum loquendi, ut explicavi. Ne tamen hæreamus in verbis, si intelligant leges has fundari in præsumptione particulari non solius periculi, sed etiam facti, quam supra vocavi definitivam, sic falsum est tales leges fundari in præsumptione, et ideo etiam falsum est cessare effectum earum, quando in particulari cessant fraudes, vel similia mala. Si autem per præsumptionem intelligant generalem timorem et opinionem periculorum quæ imminent in tali actu sine debita solemnitate facto, sic damus leges has fundari in præsumptione, negamus tamen deesse veritatem præsumptam, etiamsi in particulari facto fraudes non interveniant, quia præsumptio illarum in eo sensu non fuit fundamentum legis. Tunc ergo dici posset cessare præsumptio legis, quando generaliter cessarent pericula et rationes timendi fraudes in tota communitate, et tunc cessaret quidem lex non solum in particulari actu, sed absolute, quia esset inutilis et irrationabilis: non est autem timendum quod in natura corrupta cessent hoc modo præsumptiones talium legum, quia non sunt præsumptiones revera, sed certa judicia.

9. Unde ad exempla adducta respondeo nullum illorum esse simpliciter admittendum. Alienationes enim rerum ecclesiasticarum sine substantialem solemnitate factas censeo esse nul-las, cum Inn. in dict. cap. *Quia plerique*, et aliis; an vero sit in potestate Ecclesiæ confir-

mare illas, et addere solemnitate[m] etiam altero renuente, alterius est considerationis. Idem censeo de electionibus non rite factis quantumvis electus dignus sit, nec puto posse bona conscientia retinere munus vel præbendam, nisi defectus aliquo modo suppleatur. Sic etiam testamentum minus solemne prorsus irritum est: an vero voluntas testatoris irritetur etiam per leges, alterius considerationis est. Denique quod de professione religiosa dicebatur improbable omnino est: nam, si defectus solemnitatis substantialis contra leges ecclesiasticas interveniat, valida non erit, etiamsi optima fide et cum omnibus circumstantiis iure naturali sufficientibus facta fuerit, ut aperte nunc constat ex Concilio Tridentino. Neque jam ullus hoc negat. Imo nec Glos. vel Panormit. in dict. cap. *Porrectum* loquuntur de defectu formæ substantialis, sed accidentalis solemnitatis, ut legenti constabit.

CAPUT XXV.

UTRUM OMNIS LEX PROHIBENS PURE AC SIMPLICITER ACTUM EO IPSO IRRITET ILLUM, ITA UT OMNIS ACTUS FACTUS CONTRA LEGEM PROHIBENTEM NULLUS SIT.

1. Distinximus in superioribus duos modos legum irritantium; quædam enim irritant directe prohibendo, aliæ præcipiendo seu dando certam formam actui; in utrisque ergo necessarium est exponere quando vel quibus verbis id faciant. In præsentem autem solum de prohibentibus agimus; in eis enim specialis est difficultas quæ præcipue oritur ex l. *Non dubium*, cap. de Legibus, ubi imperator declarat omnes contractus et actus similes qui fiunt contra legem prohibentem esse invalidos, inutiles, et pro infectis haberi; et subjungit hoc procedere etiamsi lex non dicat ut actus non valeat, sed solum ut non fiat. Dicitur fortasse hanc legem esse civilem, et non obligare in conscientia. Sed contra hoc est. Primo, quia etiam lex civilis obligat in conscientia; deinde efficaciter operatur quod intendit, et ex ipso effectu irritationis sequitur ex natura rei obligatio in conscientia, ut explicatum est. Præterea lex illa canonizata est per Gregor. Pap., lib. 7, in dict. 2, Epist. 7, habetur in cap. *Imperiali*, 25, quæst. 2, et concordat regula juris canonici 64, in 6: *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*. Quæ sumpta videtur ex l. *Pacta quæ contra*, c. de Pactis. Secundo, arguitur inductione: nam imprimis lex natura-

lis prohibendo actum facit illum irritum, ut supra visum est. Deinde leges Ecclesiæ prohibentes matrimonia inter consanguineos, irritant illa, quamvis non habeant alia verba præter simplicem prohibitionem. Idem videre licebit in antiquis decretis prohibentibus matrimonia religiosorum usque ad Innocentium II, quæ non habebant verba irritantia præter simplicem prohibitionem. Tertio, argumentamur ratione, quia voluntas inferioris non potest esse efficax contra voluntatem superioris; sed quando lex simpliciter prohibet actum, resistit illi voluntas superioris; ergo non potest esse efficax. Et facit c. *Venientes*, de Jur. jur., ubi dicitur non posse juramentum inferioris obligare contra voluntatem seu decretum superioris. Idem colligitur ex cap. 2 de Testibus. Quod præsertim verum habet in contractibus, et similibus actionibus quæ sine adminiculo juris validæ non sunt; nam jus non cooperatur his actibus qui contra legem fiunt. Tandem ex actione peccaminosa non potest aliquis consequi fructum, neque effectum; sed hæ actiones prohibitæ, si fiant, sunt gravia peccata; ergo eo ipso sunt etiam irritæ.

2. *Legem simpliciter prohibentem actum, licet nil aliud addat, irritare illud sentiunt plures.* — Propter hæc, sententia plurimorum jurisprætorum est legem simpliciter prohibentem actum, etiamsi nihil aliud addat, irritare illum. Ita sentit Bart. in d. l. *Non dubium*, ubi Jason plures alios refert; idem Bart. in l. *Cum lex*, ff. de Fidejussoribus, n. 4 et 6; Glos. 1, in cap. *Licet canon*, de Elect., in 6; Panorm. cum aliis in cap. *Nulli*, de Rebus Ecclesiæ non alienand. Idem in cap. *Ad Apostolicam*, de Regular., n. 10; Tiraq. refert plures in l. ult. *Connubialium*, Glos. 4, n. 5 et 6; et in hanc sententiam inclinare videntur Covar. in c. *Quamvis pactum*, part. 2, § 4, n. 6; Gregor. Lop., in l. 28, t. 11, part. 5, n. 7, ubi eodem modo intelligit illam legem. Et alios in sequentibus referemus.

3. *Cur difficilis prædicta sententia indistincte sumpta.* — Hæc sententia ita indistincte sumpta difficilis est: nam ei obstat aliud principium satis receptum in jure: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*, cap. *Ad Apostolicam*, de Regular., quod multis exemplis facile confirmari potest. Nam matrimonium prohibetur habenti votum simplex castitatis, et tamen validum est, cap. *Rursus*, Qui clerici vel voventes, cap. *Unic.* de Voto, in 6. Item qui habet votum ingrediendi strictam re-

ligionem prohibitus est in laxiori profiteri; si tamen id faciat, professio valida est, cap. *Pe-nult.* de Regular., in 6. Et in universum prohibitum est donari uni rem alteri promissam, et tamen donatio valida est, et multa sunt similia, quæ prædicta communis sententia non negat. Et ob eam causam variæ limitationes et distinctiones ab ejus auctoribus inventæ sunt ad explicandam tam assertionem quam dictam legem *Non dubium*, ut videri potest in Angel., verb. *Lex*, n. 18; et Sylvest., quæst. 28, ubi quatuor adhibet limitationes ex quibus secunda, quæ est de favore private personæ, in capite præcedenti tractata est; tertia vero spectat ad leges assignantes formam actibus, de quibus in capite sequenti dicitur; alias vero hic expendere necesse est.

4. *Legem prohibentem simpliciter sine adjectione pœnæ irritare sentiunt.* — Primo dicunt multi, quoties lex prohibet simpliciter sine adjectione pœnæ, irritare; si tamen pœnam adjiciat, non irritare. Ita Sylvest., verb. *Lex*, quæst. 28, cum Panorm. et Cardin. in Clemen. 4 de Rescript., et Joan. Andr. in cap. *Sicut*, Ne Clerici vel Monach.; et plures refert Felin. in cap. 2 de Testibus. Prioremque partem supponunt ex dicta l. *Non dubium*, cum communi sententia. Ad posteriorem autem suadendam inducunt legem ult. ff. de Repudiis, ubi ex pœna adjecta colligit jurisconsultus actum non esse irritum. Item assertur l. *Sanctio*, ff. de Pœnis: ratio autem est, quia pœna adjecta indicat non fuisse mentem legislatoris duplici onere gravare subditos, et pœna et irritatione.

5. *Rejicitur prædicta sententia.* — Verumtamen in neutro membro videtur satisfacere hæc sententia; nam contra primum procedunt principium et exempla adducta, et multa alia quæ postea dicemus. In altero autem membro non est in universum verum legem imponentem pœnam non esse irritantem; ad summum enim posset ea regula præscribi de lege pure pœnali, quæ cum non prohibeat simpliciter actum, sed solum quasi conditionaliter imponat pœnam facienti illum, clarum est non irritare, nisi id expresse declaret, quia, cum absolute non prohibeat actum, nullum irritationis signum in ea relinquatur. Loquendo vero de lege propria seu directiva prohibente simpliciter actum, non est dubium quin possit et irritare actum et adjicere pœnam, ut cap. 14 ostensum est. Dici vero potest hoc habere locum quando utrumque expresse ponitur in lege, quæ potest duas pœnas injungere; sed

quia hoc non præsumitur quando non exprimitur, ideo secus est, quando solum prohibet et pœnam adjicit.

6. Sed contra hoc est, quia sola pœnæ adjectio non est sufficiens indicium quod actus prohibitus non irritetur, si alias absoluta verba prohibentia ad irritandum sufficiant, ut expresse notavit Anchar. in cap. *Sicut*, ne Cleric. vel Monac., et ibi Panorm., n. 10, referens alios. Et patet primo, quia irritatio non est pœna, ut supra diximus, et ita licet addatur alia pœna, non est duplex, nec immoderata pœna. Et quamvis sint duo onera, sunt diversarum rationum, et habent diversas causas, et ideo merito conjungi possunt: nam irritatio per se fit, quia expedit ad bonum commune; pœna vero imponitur propter culpam. Et ita lex *Sanctio* quæ in contrarium afferebatur non est ad rem, tum quia loquitur de duplici pœna propria, tum etiam quia loquitur de pœnis non impositis per eandem legem, sed per diversas, et unam generalem, et aliam specialem, de quibus est longe diversa ratio. Nam hic loquimur de eadem lege irritante et puniente, quæ in rigore potest etiam imponere duplicem pœnam, quia violans legem irritantem non minus, imo per se loquendo, gravius peccat quam violans legem prohibentem et non irritantem; ergo retenta irritatione merito potest lex adjicere pœnam; ergo pœna nullum est indicium quod lex prohibens non irritet. Nisi forte in aliquo casu speciali, in quo ipse modus pœnæ supponat valorem actus, ut contingit in casu illius legis ultimæ, ut eam Bart. supra interpretatur, et infra iterum expendemus. Atque ita responsum est ad fundamenta illius sententiæ. Unum vero addere non omittam, videlicet, quando ipsa prohibitio legis est pœna alterius delicti, tunc non irritare, nisi expressis et evidentibus verbis id declaret. Ratio est, quia tunc lex illa non est directiva, nec per se intendit, ut talis actus non fiat, sed in odium et vindictam alterius peccati, et ideo non est interpretanda juxta rigorem legis prohibentis et irritantis, sed juxta regulas legum pœnaliū, quarum una est ut eas mitiori modo interpretentur. Accedit quod pœna non incurritur ante sententiam, nisi ipsa lege satis exprimat.

7. *Cum causa prohibitionis est temporalis legem non irritare, secus cum perpetua, sentit Bald.* — Secundo, est alia distinctio satis communis, considerandam, scilicet, esse causam prohibitionis legis; nam si causa temporalis est, signum est legem prohibentem non irritare; si autem est perpetua, signum est irrita-